

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Ernst Meyer

Oratio De Ieiunio

Rostochii: Kilius, 1643

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737815833>

Druck Freier  Zugang



Programm für
Virt. Ernst Meiss

Joh. Knösel - E. Meiss.
R. U. Thiel, 1643.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn737815833/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737815833/phys_0002)

DFG

ORATIO DE JEIUNIO

In Illustri ad Varnum Academias concinnata, Sexto Nonarum Martij hora à nona in decimam in

Majori publicè
recitata.

ab

ERNESTO MEIERO
LUBECENSIS

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ

clx ixc xlvi.



ROSTOCHII,

Literis exscripti NICOLAUS KILIUS Academ. Typogr.





Tsi vereor, Magnifice Domine
Rector, & vos cæteri Illustris hujus
Academæ Proceres, Amplissimi,
Spectatissimi, Consultissimi Viri,
Tuq; Lectissima Juvenū stemmatis
ortu Nobilissimorum, Doctrinæ cul-
tu præstantissimorum, omni elegantia ornatissi-
morum Corona, ut satis verecundè facere videar,
quod hanc cathedram concendere audeo, cum
nequè à doctrina, nequè ab eloquentia ità instructus
sim, ut aliquid afferre queā dignum yestrīs auribus;
tamen quo səpiùs & quo plura de Tempore hoc
Quadragesimali & hominum moribus cogito, & à
doctrina cœlesti dicta & tradita mecum recta via re-
puto, quibus ad vitam restrictè sancte q; instruendā
nos irrigant verbi divini Präcones, non possum,
quin hisce permotus Veritatis patrocinium in me
fuscipiam, & beneficia à D E O Ter Optimo Maximo
exhibita grata mente repetam. Nunc enim recoli-
mus memoriam salutis nostræ, quam acerbissima Pas-
sione sua peperit nobis ille, qui ut agnus immacula-
tus crucem imbuit suo sanguine, ac maculas humanis
mentibus inustas vita eluit, & abstersit, fecitq; ut nec
esset in mortis aculeo vis ad compungendum, nec in
potestate robur ad constringendum, nec in victoria
facultas ad perdendum. At quid dicam? quam sa-
crum & religiosum hoc Jejunii Tempus est, quodq;
Antiqua illa pietatis Religionisq; forma tanquam to-

tū mundo successit; tam turpiter non solum à dissolutis, omniumq; scelerum libidinumq; maculis notatissimis, verūm etiam ab iis, qui summum sibi scopum videlicet **CHRISTUM** proponunt, deq; eo notes atque dies cogitare, debebant hujus vitam, hujus mortē & gloriā animo continenter volvere & sacro-sanctā Evangelii doctrinā ac diyinos libros nocturnā diurnā terere manu, profanatur: dum quidam jejunant sub opinione meriti, quidam dum jejunant, in delitiis vivunt. Et, cū Servator noster uberrimus vitæ perpetuò duraturæ fons, verissimus ignis cælestis Prometheus, sine quo vita constare potest nulla, jejunium suscepisse publica voce dicatur, quidam planè à cibis se temperare non possunt, sed auspicantur hoc jejunii tempus commessionibus & compotationibus, inq; ipsis adeò latent portentosis, ut corpora instar utrium aut canalium potius perenni potu fluant. Errant verò hi omnes, & lumine rationis obfuscari videntur, qui hoc pacto à cibo se abstinent, ut pectus lætitia tantum apportent oneratum, & **CHRISTO** quasi invitato Hospiti jamjām adventanti, fores cūm impiè tūm nefariè occludant. Utinā hujus recordarentur, suasq; cogitationes colligerent inq; eū transfunderent, sanè hanc hilaritatem & lætitia exiguo temporis spatio permansurā odissent, & ceu noxiā viperam fugerent, imò abhorrerent. Non tamen sentīna hæc exhaustiri, neq; malum profligari potuit; sed, quod ad Garamantas & Stygias paludes amandari oportuit, ab inferis quasi revocatur. Quod igitur, cum in Ecclesiæ contemtum ac dispendium, & multorum scandalum atque corruptelam

Iam quotannis strenue reducatur, necessum ut perspiciatur, quantoperē Jejunium amandum, & ambabus quod dicitur manibus amplectendum, & quantum imprimis faciat ad Temporis hujus piam celebracionem. Itaq; ego, quatenus permiserit mea indicendo Infancia, decrevi pro ingenii tenuitate, vobis Naturā Jejunii, non tam Pharisaici & Hypocritici quam potius Christiani, Matris bonorum omnium pudicitiae atque Virtutis Magistræ, iis quibus cum honestissimis ingenuarum artium studiis, cum Musis, hoc est cum humanitate commercium, declarare. Vos autem Auditores, omnium Ordinum Honoratissimi, quā possum, qua debeo, observantiā rogatos volo, ut mihi de Jejunii Christiani antiquitate, deq; materiae hujus ad tractandum propositæ dignitate ac fructu non dicenti, sed balbutienti, vestræ benignitatis Zephyrus adspiret, quo mitioris hujus venti aura in portum, quem assequi studeo, navim appellere possim. Est vero Jejunium Christianū, ut hinc potissimum Orationis meæ vela pandam, abstinentia à cibo & potu immodico, vel moderata quæpiā Temperantia, conjuncta cum compositione affectuum & refectione illecebrarum atque voluptatum mundi, illum in finem suscepta, ut precibus, sacris meditationibus, aliisq; pietatis exercitiis sine impedimento rectè vacare queamus. Non enim hic disputo aut verba facio de Pharisaico & Hypocritico vel aliis, sed de vero & Christiano Jejunio; quod procul dubio instituit DEUS ipse, dum serpens suasit homini, ut gulæ indulgeret, Dominus vero jejunare ciboq; vacare decrevit. Hinc Hieronymus ait: Adamum ^{l. 1. ad vero} _{in Ior.}

A 3

in

in Paradiso accepisse præceptum, ut cætera poma comedens ab una arbore jejunaret. Et per Prophetas ita Jehova loquitur: Ecce in diebus Jejunii invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones jejunatis. Nolite jejunare sicut usque in hunc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. Juxta quam Sacræ Scripturæ doctrinam jejunare docet Ecclesia. Nam Divo Basilio Verum Jejunium est, ab omnibus vitiis alienum esse. Quod quidem, ut scribit Leo, parùm religiosus aliis diebus probatur, qui Tempore hoc Quadragesimali religiosior non invenitur. Et hujus Jejunii sententia est, ut totus homo jejunet, non venter tantum, quod eleganter Bernhardus: Si sola, inquit, gula peccavit, sola quoq; jejunet, si vero peccayerunt & cætera membra, cur non jejunent & ipsa? Jejunet oculus à curiosis aspectibus, Jejunet auris à fabula & rumoribus, Jejunet lingua à detrectatione, Jejunet manus ab operibus illicitis, Jejunet anima à vitiis. Hoc verū, omnibusq; numeris absolutum Jejunium, quale intendit Ecclesia, & ad quod per externam abstinentiam quasi per mediū idoneū ad finem nempe saluberrimū venimus. Alioqui sicut qui fidens thoraci, quo pectus munitur, certamen aggreditur, magno se periculo exponit, nisi casside quoq; & reliqua armatura muniatur: Sic à solis cibis se abstinenſ, & reliquas Virtutes non exercens incidit in peccata, nisi pietati & cultui divino dat operam religiosius. Hoc cæteris sese præfert, suamq; patefacit dignitatem & animam quasi vineā excolis. Sicut enim sine cibo

cibo & potu non est plena corporis refectio? ita
& Jejunium sine refectione orationis non potest
animam perfectè nutrire. Hoc illud est, cuius
amplissimas laudes Patres decantârunt, cuius Vir-
tutem multis Exemplis scriptura commemorat.
Nam Christus ipse hanc exercuit Virtutem, per-
noctans in Oratione, & eandem ter repetens,
prostratus in faciem, de quo etiam Apostolus di-
cit: quod in diebus Carnis suæ preces supplica-
tionesq; ad eum, qui possit ipsum salvum facere à
morte, cum valido clamore & lachrymis obtulit.
Moses insignis ille Vir DEI legislator, quadraginta
dierum jejunio animam præparavit, antequam ad
DEI colloquium auderet accedere. Josaphatus Rex
Juda, videns se à Moabitis & Ammonitis numero-
sissimo collecto exercitu premi, contulit se ad rogan-
dū Dominiū, & indixit Jejunium, & amplissima poti-
tus est victoria. Rogatus Nehemias Artaxerxē Re-
gem pro Civitate sancta, ut muri ejusdem repararen-
tur, dicit de se ipso: Cibum non capiebam, & ora-
bam ante faciem DEI cæli. Daniel rogans & depre-
cans Dominum in Jejunis, sacco & cinere, percepit
specialem revelationem de Incarnatione & Passione
CHRISTI. Tum Discipulis CHRISTI ministran-
tibus Domino, & Jejunio vacantibus, dixit Spiritus
Sanctus, segregate mihi Paulum & Barnabam: mox
jejunis & precibus servientes imposuerunt ipsis ma-
nus. Quid? quod Filij Israel primò & secundò à fi-
liis tribus Benjamin percussi cum essent, etiam in-
optima causa pugnantes; postea precibus ad DEUM
fusis

Luc. 6.

Luc. 12.

Heb. 5.

Exo: 34.

2. Paral.

lip. 20.

Hehem. 1.

Daniel. 10.

Actor. 13.

Judic. 20.

fusis & jejunio præmisso sic præliū aduersus eos dextre commiserunt. Sed hac in re quid nos multò magis facere tūm oporteat tūm deceat, videamus mandatum DEI, quod nos omnes alligat, & ad cultum assiduumq; Jejunij studium adstringit. Quod passim in Sacra Scriptura per Prophetas idē nobis inculcavit. In primis verò Divi Pauli animum radiis Spiritus Sanctus ita collustravit, ut Romanis à Temperantia paullum aversis ingluviem exprobrare non dubitārit. Quippe si ea observanda sint, quæ à Politico Magistratu præcipiuntur, & si quæ ad difficultia atq; ardua nos devinciunt, summo conatu assequi & præstare annitimus in honorem præcipientis; quid non multò magis Præcepta DEI, cuius ipsius Filius tot tantraq; pro nobis calamitate dignissimis percessus est, observemus? Et si rem ipsam ad Veritatis libram expenderimus, & ratione tanquam æquissima lance æstimaverimus, quantum Virtus nostra ad felicitatem & prosperitatem hujus vitæ impetranda prodefisse possit, permultū in ea positū esse reperiemus. Cum summum Bonū in operatione animæ rationalis consistat, facili negotio illud assequemur; si mentem & rationem incorruptam salutari temperantia & Jejunio asservaverimus. Quamvis enim reliquæ Virtutes omnes in suo quoq; modo ad felicitatis penetralia seu intima ejus adyta viam ostendant, ac nonnullæ etiam rectā eo ducant; multum tamen inter hoc nostrum Jejunium ac reliquas Virtutes interesse deprehendemus. Siquidem Nulla Virtus suam amplitudinē, excellentiam & præstantiam absq; Temperantia & Jejunij subsidio tueri, & sartam teatam conservare

servare potest. Magnanimitas egregia Virtus est,
sed absq; Temperantia & Jejunio conjunctis nulla.
Solum Jejunium nullius ope & auxilio indiget, nihil
nisignis Herorum gravitas animiq; altitudo, nihil de-
cantata passim addit justitia, totum id, quod habet,
totum sibi arrogat & vendicat. Certè, ut huic meæ
sententiæ fidem adhibeat is uberiorem, ad æterna &
cælestia bona digrediamur, & quibus mediis eorum
copiam nobis facere possimus, sciscitemur. Ex Prato
scripturæ spirituali cognitum perspectumq; habem⁹
DEUM non tantū ea, quæ perditissima & infima fex
vulgi bona esse judicat, & reverā per se mala nō sunt,
divitias, sanitatem serio precantibus largiri, sed & ri-
vulos divinæ bonitatis & misericordiæ in sobrios &
jejunii cultores affatim derivare. Quid verò ad pre-
candum orandumq; animos magis excitare atq; in-
flammare, quid devotionē firmiter conservare, quid
gratuitam DEI exauditionem citius curare atq; pro-
movere potest quām sobrietas & Jejuniu? Etsi enim
ebrij beneq; poti nonnunquām preces recitare, & ad
Deum, qui fons omnis bonitatis, & animæ corporisq;
nostrī propugnaculum, effundere videntur; illæ ta-
men ingratæ minusq; sunt acceptæ, quæ sine o-
mni intellectu, devotione, & reverentia ejus ad quē
mittuntur, proferantur. Quemadmodūm qui vino
Lyæo madidus mersusq; Principem adire cupit, vel
non admittitur, vel mala cum gratia dimitti-
tur, quod Celsitudinem Principis temulentia sua
nullo loco numerare veritus sit: Eodem modo
abs reorant, Deumq; offendunt omnes, qui cum ex
bibonum symposiis vel tabernis publicis se prori-
puerint, devotionem suam precibus testari cupiunt.

B

Quis

Quis igitur Jejunium hoc non laude maxima afficiat, ac sempiternæ inscribat memoriae, non studio indefesso, non cultu prosequatur? Equidem nullius rei abusus collaudandus vel excusandus est, maximam verò reprehensionem mereri videtur ille, qui legitimū cibi potusq; modum prætergreditur. Nam, cùm Virtutum reliquarum præcepta propter solum proximum tradita sint, nosq; illis jubeamur vel eundem tueri ac defendere, vel copia nostra juvare, vel unicè vel suaviter cum ipso vivere: hæc de qua dicimus propter hominē ipsum est inventa & excogitata. Cùm cæteræ Virtutes in mediocritate maximeq; decora rerū carum & quabilitate, quæ partim industria ac labore nostro acquire possunt, partim etiam in potestate & libera voluntate positæ sunt, consistant: hæc immediatè in usurpatione cibi potusq;, qui ad solam necessitatem, non sanitatem datus est, versatur. Ad quam non solum mortales recto rationis usu præditi, verū etiā bestiæ nullam habentes cum mente communionem & societatem maximè feruntur. Canis animal est voracissimum, ità quidem, ut crudas deglutire carnes, & ferventibus ollis insidiari non timeat: at nequaquam tam edax tamq; mando, quam homo: iste sedatā, quæ adurebat eum famè sitiq; ventrem præter necessitatem ut obruat, nullo modo cogi potest; hic intestina distendit, & manifestam naturæ vim infert. Quid dicam de animantibus plumis ornatis, quæ non ad satietatem sed ad necessitatem se pascunt; quin etiam omni diritate atq; corporis immanitate horrendi Elephantes, omniumq; avidissimi leones, dum esuriem escā ciboq; compescunt,

pescunt, nequaquam ultra necessitatem repleri cupiunt. Ecce non multò magis humana Natura, quam hujus Universitatis auctor ac effector DEUS acumine ingenij illustravit, & mentis divino mure cumulavit, hunc ordinem naturæ observet, omnīq; animi contentionē vireis corporis magis cibo & potu reficere, quam ad ambas usq; aures se ingurgitare laboret? Tauro paucissimorum jugerum pascuum; una sylva Elefantis pluribus sufficit: homuncio & terra pascitur & mari. Quid ergo? an insatiabilem nobis Natura alvum dedit, cum tammodica corpora dederit, ut vastissimorum edacissimorumq; animalium aviditatem vinceremus? Minime. Quantum enim est, quod naturæ datur? parvo illa dimittitur. Quod eleganter Lucanus:

Dicite quām parvo liceat producere vitam

— Et quantum Natura petat.

Ut enim in tranquillitate corpus expeditum redditur adversus imminentem & instantem tempestatem: ita tenui victu, parcāq; ut Medici loquuntur, diæta utendum: ut, si incidamus in opiparum convivium, possimus enatare. Epaminondas tam tenuibus exiguisq; utebatur epulis, ut aliquandò vocatus ad coenam à vicino, qvum reperisset belliorum, obscuriorum & unguentorum apparatum: confessim repenteq; abierit, dicens: Ego te sacrificare putabam, non delitiari. Numa Pompilius secundus Rex Romanorum, vitam egit frugalissimam: otio non ad voluptatem & delicias, non ad quæstum, sed ad deorum immortalium cultum, & ad ipsius naturam, quantum poterat valebatq;, cognoscendum utens. Tacitus

B 2

Vir

Vir Consularis, ætate confectus, magnaq; præditus gravitate ac vehementia, factus est Romanus Imperator omnium assensu & suffragio: Vir minimò continens planeq; sobrius & librorum lectioni intentissimus. Frugales mensulas olusculis & leguminibus Pythagoricis instructas, multò lautiores esse dicebat, quam Milesiorum sumptuosa fastidia. Leotychidas percontanti cuidam, quam obrem Spariatæ parcissimè viverent & præceptis Temperantæ obtemperarent? Ne, inquit Leotychidas, pro nobis alij, sed nos potius pro aliis consultemus, nec bonis, quæ nobis naturā sunt data, abutamur. Socrates, quærenti, quis felicissimus opibusq; beatissimus esset? paucissimis contentus respondit. Virtus enim suis rebus contenta est naturæ opulentia. Sed quid multis? mittamus aras, inq; forum eamus, & ejusdem utilitatem consideremus. Quam non uno sed multis variisq; modis æstimare solent ij, qui unius cuiusq; rei naturā miramq; ingenij felicitatē rimantur. Quod si ex nostro tantum & non aliorū commendo & emolumento de fructu ac utilitate huj^o Virtutis judicare voluerimus, abundè, de quo nobis gratulari possimus, occurret. Nam quid Orationem juvat, mentem purgat, nonne Jejunium? quid carnem Spiritui subjicit non Jejunium? quid cor facit contritum & humiliatum annon Jejunium? quid libidinum ardores extinguit an non Jejunium? Jejunium castitatis lumen accedit. Hoc, inquam, murus Christiano, inexpugnabilis adversario nostro Diabolo, leonis instar rugienti circumeunti, & quem devoret, quærenti; intransgressibilis inimico, subtilissimis aculeis

2. Pet. 2.

aculeis penetranti, qui animam extollit, dum emol-
lit & pungit, cum ungit, virtutem in hypocrisim
vertit, & simpliciter inchoata pervertit. Hoc fun-
damentum, ac veluti penus omnium virtutum, effi-
citq; ne ab homine prolabamur in jumenta, hoc est
illud, quo decentia eligimus & servamus, & tandem
ordo animæq; consonantia ad recte imperandum
obediendumq;. Quod testatur ipse C H R I S T U S
Math. 4.
rentandus, qui longo se Jejunio, ut loquitur Am-
brosius, prius armavit, non quod ille tali armatura
habuerit opus, sed ut de tali armatura, nobis pugna-
turiis prospiciendum doceret. Sicut dux vitæ in tran-
situ angusto, & ignaris periculo, sed sibi notissimo
baculo viam tentat, non quia ipse baculo indiget,
sed ut alijs eum comitaturis, quomodo isto uti
debeant, ostendat. Neq; verò contra frangen-
dam Dæmonum potestatem Jejunium nos defendit
ac tutatur tantum, verum etiam ad ipsos quoq; ex-
pugnandos egregie subservit. Ut enim nullum ca-
strum ita est inexpugnabile, quin possit expugnari:
Si comoatus ei introducendi modus aliquis reperiri
queat: sic diaboli castrum, quo fortis armatus
custodit atrium suum, & peccatores occupat,
quodcunq; illud castrum sit, cujuscunq; peccati
genus per jejunium vincitur, subtractis peccati fo-
mentis, & ferocitatis equi pabulo imminuto. Quod
Achabus impius & Ninivitæ gentiles experti, dum
3. Reg. 21.
imminentem D E I iram, Jejuniorum miseratione,
Jon. 3.
ut loquitur Hieronymus, detorserunt; seu strictos
Lib. 2. in
jam divinæ severitatis gladios à suis cervicibus
Jon.
propulsarunt. Tempore Hesteræ & Judithæ Judæi Hestor.
4.
precibus suis, & adhibito Jejunio DEUM placarunt Judith.
4.

B 3

&

& liberati exemptiq; sunt ab excidio imminenti.
S. Joannes Evangelistes, Eusebio referente, saepius
se maceravit Jejunijs ut orationis suæ fervore pec-
catorem quendam à spurcitie vitiorum avocatum
& aversum ad DEUM reduceret. Tùm quoq; Nazaræi voti religione obstricti fuere, ut abstinentia
eum colerent, unde & graviter indignatur Do-
minus adversus illos, qui vinum ipsis propinârunt.
Deinde in novi Testamenti primordiis gloriâ deco-
ratur Anna Prophetissa Filia Phanuelis, quod noctu
& interdiu annis multis retrolapsis infervierit DEO
Jejuniis & obsecrationibus. Audianus Paulum, qui,
exhibeatis, ait, corpora vestra hostiam viventem,
quæ verba exponuntur de refrænatione carnalium
cupiditatū, quæ maximè fit per Jejunia. Et neplura
adducā, nulli⁹ tantū est flumen ingenij, nulla dicendi
tanta vis, tantāq; copia, quæ non dicam utilitatem
ex hoc Jejunio promanantem, exornare sed enarrare
potest. Verum enim verò hic aliquis mihi fortè
occurrere & objicere posset, non omnino Jejunium
videri utile & fructuosum, quandoquidem Pharisæos
jejunasse legimus, quorū Jejunia supremo numini
non probata fuerunt, cum Christus eos Hypocritas
proclamarit. Huic oppositioni & exceptioni hanc
repono responsionem, eos quidem istud exercuisse,
sed simulanter. Unde etiam luce meridiana clarius
apparet, Jejunij vigilantiā fidei contrariam non esse,
sed potius quam maximè consonam, tūm quoq; pro-
pter utilitatem & fructum nobis commendatissi-
mam esse debere. Neq; ullus tam ignarus tamq;
expers est rerum humanarum, qui nesciat & non in-
telligat

telligat in sicca atq; sobria anima esse prudentiam,
amentiam verò & stultiloquentiam apud ebrios re-
gnare. Crapulam ex homine ad imaginem DEI
creato facere organon Diaboli; ex homine, qui
lumine rationis ac sensus est illustratus, ratione
carentem: ex ingenioso atq; peracuto stupidum
& indocilem: ex memore admodum immemorem
& curione obliviosiorem: è fano satisq; firmo furio-
sum & obtusum. Basilius Magnus, quid esset crapula,
rogatus? respondit: crapula dæmon est sponte ad-
missus in animos per Voluptatem. Mater est mali-
tiae, impugnatio Virtutis: ex forti timidum ple-
numq; formidinis facit, ex modesto temperato, mo-
ribusq; moderato lascivum impurum, natum em-
tumq; ad libidinem, justitiam, æquitatem omnis
mixtionis & temperationis moderatricem ignorat,
prudentiam & industriam consilij & ingenij incredi-
bilem magnitudinem abolet. Ut enim aqua latexq;
repugnat igni: sic immoderatio vini mentem sobriā
suffocat & extinguit. Alphonsus cum interrogare-
tur, cur vini expers viveret, aut vino dilutissimo
contentus sitim expleret? contra omnium Regum
& aulicorum morem, respondit: Vino sapientiam,
intelligentiam obscurari: ideoq; non decere Regem:
ut hoc immodica concænatione in animo necet pe-
nitusq; interimat, sine quo Imperatoris ac Regis
nomen ritè tueri non possit. Laërtius refert, quen-
dam in convivio vidisse Uxorem Anacharsidis:
Uxorem, inquit, deformem duxisti. Cui Anacharsis:
prorsùs ita mihi videtur: sed heus puer, infunde mihi
largius merariusq;, ut eam reddam formosam. In-
dicare

dicare voluit Vir sapientissimus: Vinum immoderatiū haustum adimere homini rectum judicium. Declarant hoc etiam sensum comprehensiones, quas exteriōres vocant, extrema debilitas, in Asotis & vinariis, quorum non est diminuta actio, ut Medicis loquuntur, sed corrupta prorsus, imo verò persépe etiam ablata. Sanitate in porrò, bonamq; corporis constitutionem, qua nihil præstantius, nihil pretiosius mortalitati darum est, non solum Jejunium & Temperantia conservant, verū etiam languidam & deperditam restituunt & confirmant. Gulosi cōtra suoq; nati abdomini multiplicibus gravibusq; morbis jactantur, neq; enim id rarum aut obscurum: statim color ipse, quem sanguis prout est gignere solet, quæ sit yaletudo corporisq; habitudo, indicat, is verò talis est, ut eorum quempiam intuentes emorū cadaver, non vivum corpus putemus intueri.

Rectè Poëta;

Vino forma perit, vino corrumpitur actas,

Vino sapè suum nescit amica Virum.

Et Comicus.

Τὸν γάρ οὐδελεχόσ μεθίνεν, πν' ἡδουλα ἔχει:

Αποτελοῦται ζῶνθ' ἀντὸν τὸ σωφρονεῖν,

Οὐ μέγιστον ημῶν ἀγαθὸν ἔχειν η Φύσις.

Literarum monumentis consignatum est, Medicum ad Virum Equestris ordinis gravi morbo decumbentem aliquandò vocatum, & ab agroto atq; amicis de origine ac causis morbi, ut fieri solet, interrogatum respondisse: fluxionem quandam ē manu dextra in caput desuentem, fontem illi & causam morborum esse. Cum ille mirabundus, qui id fieri posset

posset, quæreret, Medicus cantarum, qui propè in
mensa adstabat, potu plenus, protinus correptum
ad os admovebat; ostendens hanc esse fluxionem
tot morborum causam. Facetè ille quidèm ne
minus verè: sentiebat enim valetudini nullam ho-
centiorem esse pestem, quam istam intemperiem ac
fædissimam luxuriam. Et quem unquam vidimus
lurconem valdeq; intemperantem, cui non in me-
dia juventa corpus omni genere morborum confe-
ctum ac debilitatum, sensus omnes labefactati cor-
rupti; fuerint? Occupat eum senium vitæq; occa-
sus, dum adhuc est robustus & valida etate, dumq;
quam maximè viribus pariter corporis atq; animi
vigere ac valere debebat. Neq; id mirum: nulla
enim pars est corporis neq; animi, quæ non ista im-
mani helluationis ac intemperantiae consuetudine
gravissimè lædatur. Stomachum primùm & epar-
quæq; alia membra nutritioni cæterorum destinata
sunt, necesse est isto lux^o profluvio ita debilitari atq;
corrumpi, ut neq; coquendo præparandoq; nec di-
stribuendo corpori hunc, quo vivitq; vigetq; sangu-
inem amplius usui esse possit. Calor naturalis, qui
coctionis effector est, quo ut Cicero testatur, omnia
aluntur ac crescunt, & sine quo neq; ali quicquam
potest nec crescere, ita in istis potu atq; ex eo natis
vitiosis humoribus obruitur, & demergitur, ut vel
nullum ejus amplius sit, vel admodum segne in
corpore ministerium. O Monstrum O Pestem!
Taceo jàm decrementum, quod res familiaris & do-
mestica ex ingluvie ac luxu capere solet: dum enim
temulenti meroq; onerati suis assident poculis,

C

curam

curam rerum gerendarum administrandarumq; domi incuriosis committunt, qui cā fide & fidelitate eam suscipiunt, ut post annos non admodū multos nomina non bona heri contrahant, & paulo pōst cum dedecore & ignominia, ut cum Diogene dicam Cynico, proprios lares, fundos absorbent, & bonam existimationem in cinerem pulveresq; resolvant. Jejunio verò dediti ac Temperantes domi forisq; sedulò suo fungi officio, & sibi suisq; tempestivè de victu & amictu prospicere possunt; omnia, quæ ad vitam honestè probeq; sustentandam, adq; societatem civilem ac domesticam sunt necessaria, occupant. Alcamenes, Telecri F. objurgatus à quodam, quod jejunè nimiū ac tām frugalitè sobrieq; se haberet: cum tamen amplissimas possideret divitias, & omnium rerum ubertate floreret: decet, inquit, eum, qui superat Cræsum pecuniā, & cui suppeditat abundantia, pro ratione, non pro libidine vitam consumere. Narrat Plutarchus, Iberos omnes aquam exaurire, quamvis omnium, quotquot hoc in mundi theatro vivunt deguntq; mortaliū, ab opibus paratiſſimi & instructiſſimi, atq; semel quotidie comedere ob Temperantiam & abstinentiam, vestibus vero magnificentiſſimis indui. Nam ut Templū Ephesiæ Diana reddebat obæratos acreditoribus: itā multò magis Jejunū Temperantia & sobrietas præbet asylum & refugium. Quod Socrates Æſchini, qui premebatur omnū rerum difficultate, solebat admonere: ut à se ipso sumeret mutuum sive usuram vitamq; ageret continentissimam: & additmodum sibi ipsi subtrahendo cibaria, juxta

juxta illud: Modus est optimus: temperantiae stu-
dere nec illos limites transire. Ex quo constat
liquetq; , eos, qui contrahunt sedantq; appetitum,
longè plūs habere voluptatis ac minus cruciatuum,
quām si indulgerent genio inq; maxima rerum o-
mnium vivunt affluentia. Ne autem vestrā abutar
benevolentia, quam libenter mihi concessistis; ve-
la mea contraham , & in portum me recipiam. Au-
divistis igitur Auditores omnium ordinum specta-
tissimi, Audivistis inquam, tantam hujus Jejunij es-
se utilitatem, ut duritiem cordis animaeq; emolliat
austeritate temperet ac dulcedine afficiat: tantā di-
gnitatem, ut omnes superet Virtutes: tantam deniq;
jucunditatem ut mentem divinæ particulam auræ,
face rationis illustratam, divinæ Majestatis effigie si-
gnatam, qua animal cælestē mundi miraculū magnū,
præclarosensus dono ornatū, præpotentis DEI præ-
fere imaginē ferens à cæteris bestiis brutis distingui-
tur, suamq; tuetur dignitatem, possideat; neminem
in hoc Auditorio à recto mentis sensu ita derelictum
existimo, qui non id amplectendum, inq; vitæ cursu
ceu Helicen & Cynosuram proponendum fatea-
tur. Nos vero, qui patriæ volumus prodesse, qui
mortaliū maximis utilitatibus delectamur, qui ge-
neris humani vitæ cupimus consulere, hoc agamus,
& Jejunium Christianum, quod vires corporis in-
vigore suo conservat, quodq; intellectum homi-
nisq; ingenium, ut non solum vitupera fugere, &
se qui salutaria, verum etiam de rebus, quæ sub de-
liberationem cadunt, gravissimum maximumq;
ferre possit, judicium conformat, consectari veli-
mus

mus. Obversetur oculis nostris temporis præsen-
tis ratio, ipsumq; quo dicitur **C H R I S T U M** e
servitute Ægyptiaca nos homines tot tantisq; telis
fortunæ expositos, miserijs subjectos, ærumnis ob-
noxios redemisse, mortem abolevisse, pro peccatis
nostris satisfecisse, **D E O** Patri reconciliâsse, Re-
gni cælestis hæredes fecisse, utiq; piis meditatio-
nibus transfigendum omnes intelligamus, ut, qua-
cunq; die & horâ adventum Servatoris nostri expe-
ctantes, sobriè atq; temperantè breve curricu-
lum vitæ, quod summus Regum Rex clemen-
tēt indulgebit, absolvamus, cumq; tripudio eun-
dem excipientes benedictâ ejus voce erigamur; quâ
omnes sibi deditos comitè salutatos & com-
pellatos ad cœlestis Regni & epuligau-
dia vocabit atq; perducet.

DIXI.



Musarum Mejere decus, charissime amice,
Quod celeri properes gressu, descendere sacras
Virtutis Sophiaq; ades, congratulor illis,
Et nobis, patriaq; simul, simul atq; parenti;
Hoc age, ne captum defistas currere cursum,
Sic quo te Genius melior, visq; ignea mentis
Concitat, Excelsti tanges fastigia honoris;
Quod, precor, ut possis divino numine fretus.

L. m. q; scripsi

JOACHIMUS STOCKMAN,
Med. D. & Profess. Rostoch.
reip. Phys.

NON Academia, non anni quos vixit in
Quem faciunt, possit merito studiosus haberi,
Quam bene quis vixit sapiens considerat; ipsi
Quid prodeste locus poterit numerare tot
Quid juvat? ut pondus qui vivit inutile terræ;
Ergo laudo tuum studium, conamen, & opto,
Sit felix, pergas studiose vivere, tandem.


C 3

Te

Tevixisse sciant, Virtus pōst funera viveat,
Sic ERNESTE es erisq; tui patris æmula
proles.

Boni omnis E. fecit

Albertus Willebrandt,
J. D.



Ad Politissimum & Doctissimum Juvenem

DN. ERNESTUM MEIERUM

Lub. de Jejunio in almâ Rhodopol.
eruditè perorantem.

Temporis ad nutum jejunia sacra coluntur
Nunc ubi jejunum pectus habere decet.
Sobria nempe placet, nec luxu dedita vita
Quaq; sit à turpi mens aliena gulâ.
Mos hic Christicolis antiquo vivit abusu
Tempore qui Christi vulnera sacra vigent.
Sobria sed, veluti probitas, laudatur & alget;
Vita, frequens luxus nescit habere modum.
Quiq; pios simulant, hi Bacchanalia vivunt
Temporis immemores, immemoresq; mali.
Vix totidem numeres, quibus hæc jejunia cordi,
Quot Thebae portas, ostia Nilus habet.
Egregie multi se jejunasse putabunt,
Inter si fuerint rebus ubiq; sacris.

Eru-

Frugalesq; domi vivant de paupere eattu
Ne gry solliciti, qui paraguntq; sacra.
Non stipem miseriis præbent: mercede laborem,
Nec pensat frendens Euclio dives opum.
Sed quid ego falcem meſi committere conor
Alterius? Corydon non mea curat iners.
Te potius laudo, Clari, MEJERE, Parentis
Æmule, ſpes Svadæ maxima, noster amor,
Conatumq; tuum, quid ſint jejunia, docto
Ore quod eloqueris, quo ve colenda modo.
Perge ſacros latices haurire potenter Timbres,
Grande minabitur his mens tua pota decus.

L. M. Q.
exedias

M. Pancratius Amselius,

P. L. Cæſ.



Tempore præſenti, quæ ſit doctiſſime
amicæ,
Jejunî ratio, nuper fervente Theatro
Dixi: nempe probas: contra licet improbet
alter;
Commoda, Jejunî quæ ſunt, incommoda, di-
cens.
Felix qui ſequitur fugiens incommoda multa:
Fer-

Ferreā nunc quamvis sint secla, salubria sper-
nit

Mundus, & in turpi consumit tempora luxu.
Esurie contrā videas tabescere multos.
Sed satis est: grātor D O M I N U S tua copta
secundet;

Perge bonis avibus, studiis insistere cœptis.
Sic tibi semper honos, nomen, laudesq; ma-
nebunt.

Nicolaus Theophilus,

Pastor Zeteminensis

Exul Rostochij.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn737815833/phys_0027](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737815833/phys_0027)

DFG


Frugalesq; domi vivant de paupere cætu.
Ne gry solliciti, qui paraguntq; sacra.
Non stipem miseris præbent: mercede laborem
Nec pensat frendens Euclio dives opum,
Sed quid ego falcem messi committere conor
Alterius? Corydon non mea curat iners.
Te potius laudo, Clari, ME JERE, Parentis
Emule, spes Svadæ maxima, noster amor
Conatumq; tuum, quid sint jejunia, docto
Ore quod eloqueris, quo ve colenda modo.
Perge sacros latices haurire potenter Cimbre.
Grande minabitur his mens tua pota decus

L. M. Q.
exedias

M. Pancratius Amseli

P. L. Cæs.

Tempore præsenti, quæ sit doctissim
amice,
Jejunî ratio, nuper fervente Theatro
Dixi: nempe probas: contra licet impro
alter;
Commoda, Jejunî quæ sunt, incommoda,
cens.
Felix qui sequitur fugiens incommoda mul
F



the scale towards document